

animam non agere in corpus. Resp. Demonstratum est, animam contactu non movere corpus, uti corpora se invicem movent. Sed non demonstratum est, animam corpus non movere vi a Deo accepta. Clariss. *Gravesande* qui *ILLVSTRIS Newtonii principia excolit*, in *Introduction a la Philosophie* p. 112. n. 248. *mecum consentit. Il est invinciblement démontré, inquiens, que l' Ame n' agit pas sur le Corps, ni ce dernier sur l' Ame, comme un Corps agit sur un autre Corps; mais il ne me semble pas, qu' on puisse conclure de là, que toute influence est impossible.* Objiciunt 4) Si animæ producerent motus liberos, turbari leges motus, quibus tamen omnes reliqui motus corporum respondent. Hoc explicant, dicentes: Centrum gravitatis omnium corporum simul sumtorum in systemate planetario, non mutari per mutuos corporum motus; Si vero ab animabus novi motus producerentur in mundum, qui non fierent secundum leges motus, centrum gravitatis mutari. Resp. a) Centrum illud gravitatis esse assumptam hypothesin b) quaero, unde cognoscamus, Deum voluisse, ut centrum illud gravitatis immutabile sit? Si dixeris, si centrum illud movetur, mundus erit imperfectior; respondeo, hoc nondum esse probatum: Præterea existimo, motus, qui ab animabus fiunt, tam exiguos esse, ut vix sentiantur. Objiciunt 5) Nexum rerum, in quo quædam præcedunt, & alia ex